



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 47. Scriptorum religione Catholicorum lucubrationes & mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII paucis post diebus Ludovicus Contar-
 A. C. 1676. rinus jamjam septuaginta quinque an-
 nos natus.

§. XLVII.

*Scriptorum religione Catholicorum
 lucubrationes & mors.*

Cimarol. Inter Scriptores Ecclesiasticos hoc æ-
Mem. mund. no denatos non pauci occurrunt
Sæc. XVII. qui suis lucubrationibus nominis su-
Du Pin Bibl. memoriam posteritati commendarunt
nouv. t. 18. Hos inter primus Franciscus Bosquet
pag. 227. Montpessulanus Episcopus scripsit Hi-
Thuan. Hist. storiam Galliae Ecclesiasticam, vitas
lib. 62. Pontificum, qui Avenione sedem suam
 habuerunt, Synopsin legum Michaelis
 Pselli cum notis, pluraque alia scripta
 magnæ apud eruditos æstimationis
 Pronuntiabat etiam Anno 1655. in Cle-
 Gallicani comitiis eruditissimum sermo-
 nem de Regaliis in favorem Episcopo-
 rum Occidaniæ. II. Joannes Gran-
 feus Bariensis Archiepiscopus edidit
 suas Constitutiones Diæcesanas. III.
 Josephus Maria Soresinus posteris reli-
 quit tractatum de capitibus SS. Petri
 & Pauli in Laterano asservatis, de ima-
 gine SS. Servatoris ibidem custodita
 de scala sancta in Laterano culta, En-
 comium sacrum B. Francisci de Sales
 & descriptionum duas partes præte-
 ali

alia nonnulla. IV. Franciscus Delfavius Benedictinus Congr. S. Mauri, Sæc. XVII.
A.C. 1676.
edidit tractatum in duas partes divi-
sum *de Abbate Commendatario*, in quo
corruptelas, sacrilegas bonorum Eccle-
siasticorum usurpationes, necnon ty-
rannicam ejusmodi Mercenariorum
Abbatum auctoritatem carpsit, solide-
que hanc corruptelam confutavit, pro-
pterea tamen plurimorum indignatione
pressus a suo monasterio ad Diœcesin
Claromontanam exulare jussus est:
Enimvero P. Gabriel Gerberon ejusdem
Congregationis Benedictinus se in quo-
dam commentario hujus libri Aucto-
rem exstitisse asserit, forte duntaxat se-
cundæ illius partis, primam enim e Del-
favi calamo profluxisse, vix dubitari
potest. Scripsit insuper prospectum in
novam editionem operum S. Augustini
præter dissertationem in Authorem libri
de imitatione Christi, de qua jam su-
pra mentionem fecimus: denique po-
steris reliquit apologiam pro Principe
Fürstenbergio Colonizæ capto & epi-
taphium Casimiri Polonizæ Regis. Hic
idem Pater Delfavius, dum die deci-
ma tertia Octobris prope Brestiam, quo
orationem panegyricam apud PP. Car-
melitas in honorem S. Theresiæ dictu-
rus contenderat, naufragio facto una-
cum aliis septem periit, nonnisi tri-
ginta

*Vid. supra
l. 206. §. 42.
pag. 577.*

Sæc. XVII ginta novem annos natus. V. Ant
A. C. 1676 nius Reginaldus Ord. FF. Prædicato
 rum scripsit dissertationem de Cate
 chismi Romani auctoritate, theses apo
 logeticas circa mentem Concilii Tri
 dentini quoad gratiam efficacem, vin
 dicias harum Thesium, quæstionem
 Theologico-Historicam & Juris Pon
 tificii de mente Synodi Tridentinæ circa
 scientiam mediam, chronicon Inquisi
 torum Tolosanorum præter alia. VI.
 Victorius Riccius ejusdem Ordinis Mi
 sionarius Malabaricus, qui acta & præ
 tiosam mortem F. Timothei Domini
 cani descripsit, atque anno hujus sæ
 culi septuagesimo quarto die prima Ju
 nii ex Insulis Philippinis ad Cardinales
 Congregationis de Propaganda fide e
 pistolam transmisit, in qua de Orien
 talium Ecclesiarum statu rationem red
 diturus, inter alia hæc retulit: „Ja
 „ponia tam arte suas portas occludit
 „ut eo ingrediendi vix ulla spes super
 „sit, quamvis Divina virtute Christia
 „norum corda adeo sint obfirmata, ut
 „etiam Sacerdotibus destituti fidem
 „propagent, & infideles baptisent, sin
 „gulisque annis nonnulli pro religione
 „crudelissima tormenta, imo & mortem
 „subeant, imbellesque infantes, ac foe
 „minæ ad equleos, ollasque ferventes
 „intrepide currant: magnis equidem
 „sum

„sumptibus ad Coream Peninsulam Mis- Sæc. XVII.
 „sionarii mittebantur, sed sævæ tem- A. C. 1676.
 „pestatis vi ad nostras Insulas redire
 „coacti sunt. Quam atrocem vexatio-
 „nem in Sinis passi simus, jam ex tri-
 „bus libris a me Romam missis constat:
 „ego in quadam Christiani domo lati-
 „tans nil intentatum relinquo, ut Mis-
 „sionarios ex Ordine SS. Francisci &
 „Dominici Sinas mittere possem: nos
 „autem inutiliter laboravimus, & Fran-
 „ciscani Macaum adventantes, a Jesui-
 „tis ingredi prohibiti sunt, nihilominus
 „clam ingressi ab iisdem vexati, atque
 „apud Cantonensem Pro-Regem de-
 „nuntiati Macaum reverti cogebantur:
 „Hic idem Pro - Rex hos Missionarios
 „non proprio motu sed ex metu, ne
 „exteros in Provinciam invexisse ac-
 „cusaretur, a Regni accessu exclusit,
 „unde exclamavit: *malam intentionem*
 „*habent Jesuitæ*: pariter P. Bonaventura
 „Ibaguez Franciscanus hæc nuper mihi
 „rescripsit: *Quis in Europa credat, quod*
 „*Societatis Religiosi Ministros Evangelii eo*
 „*sine accusent & comprehendi curent, ut e*
 „*Regno, quod non nisi ad annuntiandum*
 „*Evangelium ingrediuntur, ejiciantur: nec*
 „*ipse Sathan ad arcendos a Sinarum fini-*
 „*bus Christi Ministros efficaciora remedia,*
 „*ardioresque Macajenses limites opponere*
 „*posset.* Ergo hac ratione quarto in Mis-
 „sioni-

Sæc. XVII. „sionibus laborandi voto satisfaciunt
A. C. 1676. „dum Evangelii prædicationem imp-
 „diunt, & Christi Ministros propellunt
 „incredibile hoc videtur, & nihil t-
 „men verius est, non modo nunc, sed
 „pluribus aliis occasionibus Christi Mi-
 „nistros ex eodem Regno ejecerunt
 „Hæc referre cogor, ut vestræ Emi-
 „nentiæ tam impudenti & scandalosi-
 „agendi modo remedium opponant
 „non enim Jesuitæ in Sinis tales sunt
 „quales saltem exterius Romæ com-
 „parent; nec eos pudor, nec erga Apo-
 „stolicas literas reverentia, nec scan-
 „dali timor ab ejusmodi violentiis re-
 „tinet. Post vexationem ante bien-
 „nium extinctam omnes quidem reli-
 „giosi ad suas Missiones reversi sunt
 „sed supersunt duntaxat duo Fra-
 „ciscani, & quinque Dominicani. A-
 „Insulam Formosam quatuor missi
 „Dominicanos, sed hi a quodam Sa-
 „nensi, qui ejectis Batavis hanc Inse-
 „lam sibi subjecit, capti hoc anno re-
 „dire compulsi sunt. Quid in Regno
 „Tonquino, Cochinchino, Champay-
 „Camboja & Siam agatur, aliunde
 „vestris Eminentissimis notum est; id mihi
 „certo constat, quod Jesuitæ ibidem
 „(anno hujus sæculi septuagesimo sexto in-
 „expulsi fuere) Episcopos verbo & opet-
 „infectati sint, eosque Jansenistas ap-
 „pelle-

„pellarint; ipsimet hi Præsules de in- Sæc. XVII,
 „juriis sibi illatis testari poterunt, unice A. C. 1676.
 „referam, quod Jesuitarum impulsu &
 „accusationibus Gabriel Sacerdos ab his
 „Episcopis eo missus perinde ac si Fran-
 „ciæ Regis explorator esset, ab Hispa-
 „nis captus, mox Siamam reverti co-
 „actus fuerit: nos vero hunc Sacerdo-
 „tem protecturi unacum aliis quatuor
 „Missionariis in Sinarum Regnum pe-
 „netrare tentavimus, sed ab iis pro-
 „hibiti sumus, qui suarum actionum te-
 „stes oculatos abhorrent, quamvis nun-
 „quam soli in aliquo loco esse deberent,
 „ut Ecclesia de eorum doctrina certior
 „reddi posset; quamdiu enim soli in Si-
 „nis erant, quas in doctrina & ritu no-
 „vitates invexerint, vobis sat notum
 „est. Bullæ etiam Clementis IX. qua
 „Ecclesiasticis negotiatio interdicta,
 „etsi ab ipso Rege in omnibus suis di-
 „tationibus fuisset promulgata, non se
 „subjecerunt, negotiantes ut antea, sub
 „alieno tamen nomine &c. „ Præ-
 „ter hanc epistolam Riccius insuper e-
 „tiam Sinarum Historiam composuit.
 Refert P. Echard illum nonnisi anno
 hujus sæculi octogesimo quinto Manilæ
 die decima quinta Februarii decessisse.
 VII. Martinus de Esparza S. J. edidit
 tractatum de immaculata Conceptione
 B. V. cursum Theologicum, epistolas
 S. Au-

Sæc. XVII. S. Augustini collectas, tractatum de virtutibus moralibus. VIII. Joannes Paulus ab Epiphania Carmelita Excalceatus posteris reliquit cogitationes sacras morales ac politicas de naturæ vicissitudinibus, Historiam civitatis Messanensis, artem concionandi, discursum Academicum in epistolam B. V. a Messanenensibus præter plurimas orationes & Venerabilium vitas. IX. Matthias a Corona Carmelita typis vulgavit duodecim tomos de Ecclesia Romana, ejus Primatu, Pontificum auctoritate, Episcoporum spirituali & judiciali potestate, de Missionibus Apostolicis, de dignitate Cardinalium, Legatorum &c. & de Sanctitate ejusdem Ecclesiæ.

§. XLVIII.

Acatholicorum scriptorum lucubrationes & obitus.

*Du Pin Bibl.
des Aut.
Eccl. t. 17.
Rolli Bibl.
nob. Theol.
Witte mem.
Th.*

Celebre sibi nomen inter Scriptores Acatholicos hoc anno defunctus comparabat Gisbertus Voetius Calvinianus Præco; cum enim Sylva ducentes Protestantes ad certamen Catholicos ejusdem Urbis Parochos provocassent, & Cornelius Jansenius edito suo

Alex